



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Laurentius Ep. 14. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

14. Nov. VITÆ SANCTORUM. 711  
quod clausum aliquoties cum reperisset,  
nobiles illi Atrienses Cælitres aperue-  
runt. Ille nunquam non vel ad magnæ  
MATRIS vel FILII effigiem cernuus  
jacuit, pulchrâ vicissitudine, nunc ab  
ubere, nunc à vulnere ebrius. Certè ad  
CHRISTI in crucem suffixi pedes in  
templo vitam posuit; cum illa Angelo-  
rum verba (*Gloria in excelsis DEO*) ho-  
mines canerent. Sed ille hæc suavius ca-  
ni ab ipsis Angelis scivit. *Ex Surio.*

*Nihil est dignius, quam ut homo sit sui  
auctoris imitator, & secundum modum  
proprie facultatis, divini sit operis execu-  
tor: nam cum aluntur esurientes, & ve-  
stiuntur nudi, nonne auxilium Dei manus  
explet ministri, & benignitas servi manus  
est Domini?* S. Leo, serm. de Quadrag.

S. LAURENTIUS EP.  
14. Novembris.

PARENTEM LAURENTII nostri fuisse  
ajunt Mauritium inter Hyberniæ  
præceres latissimè imperantem. Ob id  
cum oculi Regi Dermicio dolerent,  
Mauritius fidei suæ obsidem in filio,  
quem natu minimum & eharissimum ha-  
buit, animum dedit. Et poterat suavissi-  
ma pueruli indoles barbatum licet cujus-  
vis pectus expugnare. Unus Dermicius  
rex gratulatus sibi est, quòd agrè denique  
patri in filio posset facere. Quare innocen-  
tis-

Y y 4



tissimam animulam vinciri iubet, & in insulam desertam asportari, squalore & fordibus reo utique quàm obsidi similiorum. Subjecit ea res justas iræ faces Mauritio, ut è satellitio regio duodenos etiam ipse victos abduceret morituro filio, nisi in tempore hic redderetur, omnes uni parentaturos. Mitius proin habitus, & in sacrorum hominum sinu eductus Abbas Glindalacensibus, tū Dublinensibus Archiepisc. datus, deniq; à Pont. ad omnem Hyberniam legatus est. Ergo omnium primo mores Canonicorum in peius prolapsos ad Majorum regulam correxit, sui etiam severissimus censor. Nam corpus cilicio vestivit, & ter quotidie flagellari à familiari servulo voluit, carneque sibi, quoad vixit, interdixit. Interim ex egentibus numquam pauciores triginta quotidie convivas habuit, satis ipse jucundissimo hoc oculorum epulo passus. Ultimò dum pacem pacisci inter Henricum Anglorum & Deriogum Hybernorum reges laborat, ab hoc Hyberniâ proscribitur, & in Nortmaniâ moritur. Reperit in exilio patriam. *Ex Lippeloo.*

*Multi simplices & humiles calos penetrant; nullus verò arrogans, quamvis artium liberalium polleat scientiâ, ad caeleste admittetur convivium, tantoque gravioribus cruciabitur pœnis, quanto nequius donum Dei tractaverit. S. Laur. Justin. de Casto connub. c. 14.*



SSS. SAMONAS, GURIAS ET ABI-  
BUS MM. 15. *Novembris.*

**T**riumpharunt tergemini Heroës isti  
Edeffæ. Alii multa eorum miracu-  
la, nos unum narrabimus. Erat Edeffæ  
mattona vidua Sophia, & huic filia Eu-  
phemia; illam virtus, hanc etiam for-  
mæ gratia commendabat. Sed & miles  
præfidiarius Gothus erat, qui oculis  
puellæ captus eò demum matrem per-  
pulis, ut barbarum focerum quàm ho-  
stem mallet. Prius tamen jurare sibi  
hunc ad Martyrum nostrorum tumbam  
conceptis verbis voluit, eo loco habi-  
tutum se novam nuptam, quo socii thori  
fides juberet. Facile jurare militi fuit.  
Ergo in Italiam abducit Euphemiam,  
non dominam, ut ipsa rebatur sed ser-  
vam planè, ut qui domi conjugem pri-  
dem habebat. Huic insuper forma tam  
liberalis in ancillâ minimè placebat.  
Multò maximè libertus ex eâ natus dis-  
plicebat. Itaque dolorem vultu & impe-  
riis vindicat, partum veneno tollit. At  
Euphemia reliquias hujus ab ore filioli  
legit, meroque miscens novercam in-  
fantis Manibus inferias mittit. Ipsa utri-  
que parentatura, tumulo hujus à cognatis  
includitur. Sed adfuere tandem fide jus-  
soes GURIAS, SAMONAS & ABI-  
BUS, & Euphemiam somni beneficio  
trans-